



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Ladislavs C. 27. Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

diceret, densissimo lapidum imbrequitus, ipsoque triumpho suo est obrutus. *Ex Ferrar. & 10.3. Bav. S.*

*Dilectio fraterna omnibus desiderii amplectenda est, quæ tot bona potest habere, quot premia: custodienda præ omnibus Virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est. Locum non demus inimico, ne inter mella venena felle amariora confundat. S. Pet. Chrysol. serm. 53.*

## S. LADISLAVS C. 27. Iunij.

**L**ADISLAVM Belæ primi Regis Vngarorum filium, imò MARIAE vides; ita totus ab huius uberibus, dum vixit, pependit, sed neque mortuus, ut audies, dimisit. Cæterum vix alius regum tot virtutibus: aut purpuram ornauit, aut coronam distinxit; ut minùs mirer, si legam aulam ejus ab Angelis frequentatam esse. Certè ipse ab Angelo germanum suum vidit coronari, sed & Angelum sub cervi schemate ignitis cornibus locum vidit signare, quo promissam MATRI MAGNÆ ædem conderet. Eorundem Cœlitum ope, cum in multis aliis pugnis, tum in duello contra patrum suum Regem Salomonem victor evasit. Etenim cum hic cum uno rem sibi LADISLAO crederet esse, conspexit sub congressum, contra duos præterea Angelos sibi certamen esse, qui gladio jam jam Salomoni graves imminuebant. Nolu itaque, etsi Hercules sibi ipse videretur, in tot tantosque pugnare; sed abiecit arma, pacem coluit. Toties victor LADISLAVS coronam tamen ferre Vngariæ semper respuit, nobiliorem & immortalem ambiens, quam ut faciliùs obtineret, facere fortiter pro terrâ sanctâ constituit. In eâ proinde expeditione, cum Dux lectus esset omnium copiarum, ecce



in ipso belli apparatu pulcherrimâ morte occubuit. Mortuus porrò, & currui impositus, sine jumentorum hominumque ope in Templum, quod ab eo VIRGINI structum memoravimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum orbis; at non ego etiam: nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere? *Ex Ant. Bonfn.*

*Omnis delectatio hujus mundi, universa ejus gloria, quidquid denique in eo concupiscitur, proventus modicum est, in illius beatitudinis comparatione; sicut tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, & vapor ad modicum parens. S. Bern. serm. de S. Clem.*

S. POTAMIOENA V. M. 28. Iunij.

**F**elices nos bona si nostra, si questum virtutis & certa pietatis vestigalia noverimus: quantum possumus ditescere! POTAMIOENA Alexandrina virgo fornicæ causâ cum multis confictata prociis, & in illo certamine superior, ex amoris palæstrâ in scenam crudelitatis transit, ut ad pudoris lilia constantiæ laurum adjungeret. Aquila homo sanguinarius carnificinæ præerat, cujus in POTAMIOENAM omnem atrocitatem effudit, certus fidem illi vel vitam eripere: jactatam per omnia tormenta, denique ad rogam cum Marcellâ matre damnavit. Virginis ducendæ cura Basilidi demandata non omnino experti humanitatis, & mitiori ingenio, quàm pro tam barbaris ministeriis. Is ergo insultantem virgini multitudinem compefcuit, magisque fidei custodis, quàm licetorismunus explevit. Hoc tantillum officium ne suo auctori periret, curæ sibi fore, moritura virgo promissit. Neque defuit dicto fides. Triduo à morte